





ORDINIS MEDICI 1725,3  
DECANUS,  
WILHELM. HULDERICUS 11

SSADISESMJEDZ!

MED. DOCT. PROF. PRIMAR. PHYSIC. EXPERIM.  
ORDINARIUS,

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE

USU FRICTIONUM  
IN MEDICINA

INTIMAT,

ET

AD ACTVM HVNC SOLENNEM  
VIROS OMNIUM ORDINUM  
AC DIGNITATUM, LITERA-  
RUM ATQUE LITERATORUM,  
PATRONOS, FAUTORES,  
ÆSTIMATORES,

CIVESQUE ACADEMICOS,

EO, QUO PAR EST

OBSEQUIO, OBSERVANTIA ET HUMANITATE  
INVITAT.

KILIAE,

LITTERIS IO. CHRISTOPH. REUTHERI, ACAD. TYPOGR.



edicinam primis temporibus sola affectuum  
externorum medela, ipsaque adeo chirurgia  
tantum contentam fuisse, cum temporum i-  
storum ratio, tum morborum conditio satis  
evincunt. Siquidem sub victu simplici, pau-  
cis vel nullis morbis, ab interna causa ori-  
undis, obnoxii erant mortales, sed iis tantum affligebantur  
frequentius, qui externa vi & vel ab animalibus, aut ipsis  
hominibus, vel etiam a rebus inanimatis durioribus, & modo  
quocunque lædentibus fieri potuerunt, vulneribus, fracturis,  
contusionibus, luxationibus, quibus sanandis manuum opera  
potissimum requirebatur. Unde Æsculapii filios, Podalirium  
& Machaonem Ducem Agamemnonem in bellum Trojanum  
sequutos, celebremque Achillis præceptorem Chironem, non  
tam in pestilentia neque in variis generibus morborum ali-  
quid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro &  
medicamentis mederi solitos esse, si Homero fides est habenda,  
refert *Celsus*, in Proëmio; & *Plinius* l. 19. c. 1. claram fuisse  
medicinam Trojanis temporibus, vulnerum tamen duntaxat  
remediis refert. Primus vero clinicen instituit *Hippocrates*, &  
diæteticen arte docuit, ad quam potissimum regimen rerum  
non naturalium, ut medicis vocantur, pertinet. Nemo vero  
est, qui ignorat, quanti momenti in conservanda sanitate ex-  
istat, debita & legitima istarum rerum administratio, & cum  
motus & quietis quoque hic habeatur ratio, veteres sane cir-

ca illas, & exercitationum modos ac vires curiosi fuerunt admodum, atque solliciti. Ipsum *Hippocratem* gymnasticen præceptis salubribus primum descripsisse, ex scriptis ejus passim apparet quam evidentissime; quamvis deinde ars hæc exercitationis exulta, & ut inventis facile est aliquid addere, magis fuerit perfecta. Apud Græcos, deinde Romanos ars hæc non minima medicinæ pars habebatur, tutela sanitatis, acquisitio roboris, & firmitatis corporis comparandæ ergo summe necessaria. Neque enim infima seu postrema conservatricis medicinæ pars habenda est, quæ exercitationum, frictionumque & inunctionum varios modos explicat, nec modo inculpatum sani corporis habitum conservare, sed etiam corpus a subtercutaneis excrementis purgare, lassitudines curare & avertere, defectus instaurare, macilentos habitiores reddere, obesiores emaciare, & si quæ corporis pars imbecilla fuerit, robustiorem efficere soleat.

Gymnasium teste *Galeno* l. 2. sanit. tuend. locus erat publicus, quo ungenti, fricandi, luctaturi, discum jacturi, aut tale quid facturi confluebant. Quin & in his non modo corpora, sed instituto summe laudabili mentes etiam adolescentum exercebantur, quamvis quod potiores aut plerasque ædificii partes magistri exercitationum corporis occuparent, palæstræ nomine gymnasium totum sæpe significaretur. Nolo impræsentiarum plura & singularia de ædificiorum structura, camerarum & cellularum multitudine, instrumentorum necessariorum apparatu, materia, constructione, figura, usu, multitudine, & aliis circumstantiis huc afferre, de quibus omnibus legi meretur *Joubertius* de Gymnasiis, & balneis antiquorum: siquidem ex *Galeno*, *Plinio*, aliisque multa egregia huc pertinentia affert, ex quibus pauca delibasse sufficiat. Exercitationum, quibus corpora agitabantur modi ad quinque gene-

ra commode referuntur: luctam, pugillatum, cursum, saltum, discum, unde certamen hocce Græcis πεντάβλη, Latinis vero a quinque artibus quinquertii vocabulo indigitatur, ut videre est apud *Alexandrum ab Alexandro* diæ. genial. l. 3. c. 21. Ipsos vero Romanos olim multo tempore palæstris & gymnasiis publicis caruisse docet *Budens*, comm. in l. 4. ff. de his qui notantur infamia, ubi inquit: Romani iis non utebantur. Et *Vitruvius* l. 5. de architect. c. II. palæstrarum ædificationes non esse Italicæ consuetudinis. Deinde vero, cum Romani Græcorum fierent æmuli, horum mores voluptatesque sensim sunt imitati, & in suis thermis etiam palæstras exædificarunt, id quod ex *Plinio* aliisque scriptoribus latinis evincit *Langius* epistola 51. & totam gymnasii structuram videre possumus apud *Plinium* l. 5. c. II. Constabant Romanorum thermæ ædificiis superbis, porticibus deambulatoriis amplissimis, picturis & columnis variis exornatis, quæ refrigerationis & voluptatis gratia mire placebant. In his exhedræ spatiosiores disponebantur, ubi rhetores & philosophiæ professores disputabant; aderat simul palæstra, quæ, ut Græcorum gymnasiorum pars erat, sic Romanarum thermarum. Ita tamen hæc omnia instruebant, ut meliorem thermarum suarum partem balneis, cum frigidis, tum calidis, destinarent, voluptatis plus quam sanitatis artisque gratia balnea fabricantes. Vocitare inde solebant thermas, & balnea sua gymnasia, atque tantis sumptibus, tanto splendore, crescente principum luxuria in iis ornandis utebantur, ut thermæ sæpe instar urbium viderentur.

In his igitur thermis corpora exercebant Græcorum more balneis, motu, unctionibus, frictionibus, mentes vero & animos variis doctrinis. Et cum ad corporis exercitia præparandi erant artus, olei unctione corpora modice calefacta emollie-

mollesbant, docente *Galeno* l. c. & ab exercitatione in cellis sudoriferis athletarum corpora ab oleis antea illitis, una cum arena inspersa, & pulvere sub lueta in altum elevata & corpori adherente, & cum oleo & cœno concreto ceromate liberabantur mediantibus strigilibus aliisque instrumentis, quando spongiis ut maluit *Hippocrates* l. 3. vict. f. 11. sudores in balneis abstergi commode non poterant, exsiccati & in crustam cœnosam mutatis istis omnibus. Nam exercitationis cuiusvis pars extrema apothera pia audiebat, frictio nempe, qua lassitudo post immodicum exercitium removeatur, aut expurgandorum excrementorum gratia adhibenda. De *Hadriano* Imperatore referunt historiae, quod cum aliquando veteranum quendam notum sibi in militia, conspexisset in balneo dorsum parietibus atterentem, percontatus eum fuerit, cur se marmoribus distringendum dedisset? Cumque ille idcirco hoc a se fieri respondisset, quod servis careret, & servis eum & pecunia liberaliter donavisset. Paucis vero interjectis diebus, cum complures ad provocandam Principis liberalitatem eodem venissent, seque parieti identidem attererent, evocari eos iussit, & alium ab alio mutuo confricari. *Hist. August.* T. I. p. 162. Varias autem adhibebant & frictiones & unctiones oleo praesertim instituendas: duos quippe liquores corpori humano gratissimos esse, intus vini, foris olei, *Plinius* testatur. Huic simile est *Pollionis* responsum, quando rogatus ab *Augusto*, qua victus ratione illum corporis decrepiti & animi vigorem centum annos illesum conservasset, respondisse fertur: intus mulso, foris oleo. l. 22. c. 24. quasi cum *Democrito* viscera interna melle, externa oleo irriganda esse diceret. Tandem vero luxum eo pervenisse idem refert *Plinius*, ut hac simplicitate non contenti, praeter balnearum magnificam structuram, unguentis admodum pretiosis profusissime uterentur, qui-

quibus non modo corpora, sed etiam parietes & folia illinebantur. Demum, quod ad frictionem attinet, illud notatum dignum est, eam non modo ante & post exercitia adhiberi solitam fuisse, sed etiam frictiones corporis universi esse exercitii vice in his, qui morbis & praesertim febribus solutis, propter virium defectum exercitationes ferre nequeunt. Cum vero de his in dissertatione pluribus egerit Candidatus Nobilissimus atque Clarissimus

DN. GEORGIUS FRANCKIUS,

nolo frictionum utilitatem modumque pluribus attingere, praesertim cum de vita & studiis Candidati aliqua, pro instituto & more Facultatis dicenda restent, quarum summam ipse nobis suppeditavit. Natus est anno superioris saeculi ultimo 1700. die 27 Julii. *Patr.* Viro summe Reverendo, Amplissimo Dn. *Wolffango Christophoro Franckio*, Theologiae Professore longe celeberrimo, & ad Div. Nicolai Archidiacono meritissimo, *Matre Christinae Graeniae*. Avum paternum habuit Virum Magnificum, summe Reverendum Dn. *Christophorum Franckium*, S.S. Theologiae Doctorem, Professore primarium, Academiae Pro-Cancellarium, & in supremo Senatu Ecclesiastico Consiliarium longe meritissimum. Avia paterna fuit *Catharina Clausenia*, Dni. *Matthiae Clausenii*, medendi artis Doctoris, ac Ser. Ducis Slesvici Holsatiae Medici experientissimi filia. Avus maternus, *Georgius Graenius*, qui a commentariis iudicii provincialis fuit. Avia materna *Christina Kohlblatia*, quae adhuc in vivis est. Parentes optimi nihil omisere, sed ab ineunte aetate ad discendum habilem, praceptoribus privatis ac domesticis eum tradiderunt. Anno 1715. commissus est Philosophiae Magistro Dno. *Opitzo*, nunc Professore Theologo celeberrimo, qui adeo eum erudit ac instituit, ut quicquid in litteris potest ei in acceptis ferendum habeat. Anno 1716. Parentem praematura morte



morte sibi ereptum luget, cum grata memoriae ejusdem recordatione & devinctissima animi observantia. Anno subsequente ordini civium Academicorum ab eodem, a cujus manu insignia Doctoralia jam expectat, adscriptus est, ejusdemque scholas ab illo tempore sedulus frequentavit, & physiologica, institutiones Medicas, physicam experimentalem, botanicam, materiam medicam, anatomicam profitentem audivit. Experientissimi Dni. *Richteri* Doctoris & Assessoris medicæ Facultatis, & Practici celeberrimi collegia physiologica ductu Boerhavianò, physica, anatomicam, practica, frequentavit, & sub ejusdem moderamine disputationem, de *medicina firmis & certis fundamentis innixa*, defendit. Deinde Lipsiam profectus est, ibidemque per annum integrum commoratus, celeberrimorum Medicorum, *Rivini & Schacheri* institutione privata, in Mathematicis M. *Richteri*, in philosophicis *Rudigeri*, in physicis *Lehmanni* doctrinis est usus. Anno 1723. in Belgium se contulit, & lustratis antea præcipuis Germaniæ Academiis & urbibus, Hala, Witteberga, Jena, Dresda, Gotha, Coburgo, Bambergam, Norimbergam, Marpurgo, Francofurto ad Mœnum, Colonia, Rheno vectus, superatis Noviomago, Arnheimia, Ultrajecto, Amstelodamo, Lugdunum in Batavis petiit. Audivit hic *Boerhaviu*m in practicis, theoreticis & chymicis; *Osterdyck-Schachtium* in practicis, *Albinum* in Anatomicis, *S' Gravesandium* in physicis & mathematicis: nec dicere potest Noster, quam vehementer sibi de tot Eruditorum, quibus illa Academia superbit consuetudine sit gratulatus. Postquam vero ad triennium fere hic commoratus est, iter per Antwerpiam, Bruxellas, Trajectum ad Mosam, Aquisgranum, Bredam, Osnabrugum, Hannoveram, Brunsvicum, Hamburgum flexit, & Junio mense labentis anni ad Lares patrios reversus est; nomenque Facultati Medicæ dedit, atque  
ad

ad examina consueta admitti modeste petiit, quibus praesentibus Magnifico t. t. PRO-RECTORE GENTZKENIO, & Auctore gravissimo Dno. Dr. REYHERO feliciter superatis, nunc ad examen & certamen publicum sese accingit, conscripta dissertatione inaugurali, *de usu frictionum in Medicina*, sub Praesidio Viri Amplissimi & Experientissimi Dni. LUTHERI, Medicinae Doctoris & Professoris celeberrimi, Collegae nostri honoratissimi ad diem XXII. Decembr. habenda. Ad quem actum solemnem VIROS PERILLUSTRES, GENEROSISSIMOS, MAGNIFICOS, AMPLISSIMOS, Confutissimos, Mæcenates, Literarum ac Litteratorum Patronos, Fautores, Civesque Academicos, eo, quo par est obsequio, observantia & humanitate invito. P. P. Kiliae Holsat. Dominic. III. Advent. sub Sigillo Facult. Medic. Anno reparatae salutis MDCCXXV.




ULB Halle  
004 367 324

3







ORDINIS MEDICI 1725,3  
DECANUS,  
WILHELM. HULDERICUS 111

~~SSAEDZSCHMIEDZ~~  
MED. DOCT. PROF. PRIMAR. PHYSIC. EXPERIM.  
ORDINARIUS,

DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE

USU FRICTIONUM  
IN MEDICINA

INTIMAT,

ET

AD ACTVM HVNC SOLENNEM  
VIROS OMNIUM ORDINUM  
AC DIGNITATUM, LITERA-  
RUM ATQUE LITERATORUM,  
PATRONOS, FAUTORES,  
ÆSTIMATORES,

CIVESQUE ACADEMICOS,

EO, QUO PAR EST  
OBSEQUIO, OBSERVANTIA ET HUMANITATE  
INVITAT:

KILIAE,

LITTERIS IO. CHRISTOPH. REUTHERI, ACAD. TYPOGR.